

Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, cum similibus.

44. *Definitionem fidei, Hebr. cap. xi, et seqq. traditam, impugnat Glossa.* — Quæritur III. Utrum bona sit definitio fidei, quæ tradita ab Apostolo *Hebr. xi, 1*, illi verbis: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium?* Glossa ad rubricam h. t. censet eam non esse bonam: atum quia (inquit) non est convertibilis cum suo definito, sed convenit etiam spei, quæ similiter est substantia rerum sperandarum; tum quia definitio illa videtur tantum loqui de futuris: atqui vera fides est tam de præsentibus, quam de præteritis, et futuris; oportet enim credere, et Christum pro nobis fuisse natam, mortuum, atque sepultum, et ipsum existere in cælis, atque in sanctissimo Eucharistiæ sacramento, et eum esse venturum iudicare vivos et mortuos: quamvis adhuc una dumtaxat fides sit, respiciens et comprehendens illa diversa tempora, juxta illud Apostoli *Ephes. cap. iv, 5: Unus Dominus, una fides, unum baptisma*: sive allata definitio videtur insufficientis: Ita discurrit Glossa citata.

45. *Sed dicendum eam esse bonam. Et seqq.* — Dicendum tamen cum divo Thoma 2. 2. q. 4. art. 1; divo Bonaventura in 3. Sent. dist. 23. art. 1. q. 1; Abbate Panormitano ad Rubr. h. t. n. 1. et aliis passim, definitionem fidei ab Apostolo traditam esse bonam, sufficientem, et convertibilem cum definito: idque probatur tum ex declaratione singularum particularum ipsius, quæ nihil continent superfluum, aut diminutum; tum ex solutione rationum Glossæ. Accedit, quod Apostolus in allata definitione convenienter comprehendat duplex munus fidei, propter quod nobis divinitus infunditur: nempe ad illuminandum, similiterque credendum ex parte intellectus; et ad sustentandum, sive stabilendum spem nostram, omnesque actus, seu affectus bonos ex parte voluntatis.

46. *Quid in ea importet ly: Sperandarum substantia rerum?* — Dicitur imprimis in allata fidei definitione, *sperandarum substantia rerum*. Hoc est, fundamentum, ac basis rerum a fidelibus sperandarum, supra quod videlicet spes nostra supernaturalis fundatur, et radicitur: nam quæ speramus consequi in cælis, non nisi fide nobis fiunt cognita, et certa: qua proinde ratione fides divina vocatur *Fulcrum*, ipsumque funda-

mentum spei christianæ, sicque rectissime dicitur *sperandarum substantia rerum*. Quod quidem vel maxime procedit in ordine ad objectum primarium, et principale fidei supernaturalis, quod est DEUS ter Opt. Max. Nam negari non potest aliqua esse credenda ob infinitam, et infallibilem veracitatem Dei revelantis, quæ nec speramus, nec consequi desideramus: ut sunt diluvium, infernus, lapsus primorum parentum, suspensio Judæ proditoris, et hujusmodi plura alia, quæ sunt objecta fidei minus principalia.

47. *Quid in ea importet ly: Sperandarum substantia rerum?* — Deinde verbis illis, *sperandarum substantia rerum*, partim nobis indicatur objectum primarium fidei theologice, quod est DEUS ter Opt. Max. quem pie fideliterque vivendo, in cælis æternaliter consequi speramus. Partim etiam manifestatur quædam fidei proprietates, utpote quæ debet esse certa, et infallibilis: unde appellatur *substantia*. Partim vero indicatur alterum munus fidei, consistens in stabilendo affecta nostræ voluntatis ad sperandum cælestia, et procurandam horum finalem consecutionem per exercitium bonorum operum.

48. *Et quid ly: Argumentum non apparentium? Duplex munus fidei, nempe illuminare ex parte intellectus, et stabilire ex parte voluntatis, supra, n. 45 et 47. Fides est, credere quæ non vides.* — Dicitur secundo, *argumentum*: quod idem est, ac firma adhesio intellectus, sive firmus certusque assensus ipsius. Et additur, *non apparentium*, ad denotandum, quod ejusmodi firma, et infallibilis adhesio intellectus sit de rebus, quæ ex se non sunt claræ, et evidentes: nam « Fides est, credere quod non vides, » juxta D. Augustinum, relatum in c. *In domo de Pœnit.* dist. 4. Atque, ut loquitur Glossa, ibidem: « Fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum. » Quamobrem fidei maxime proprium est, ut *in captivitate redigat omnem intellectum in obsequium Christi*, prout loquitur idem Apostolus II *Corinth.* x, 5. Quia vero dicta adhesio intellectus, habita per fidem, firma est, certa atque infallibilis, sicque *argumentum* dicitur: ulterius per hoc insinuatur primum munus fidei supernaturalis, quod est illuminare intellectum, eumque ad firmiter credendum corroborare; eo quod fides ab Apostolo descripta innitatur revelationi divinæ, et prorsus infallibili, factæ de illis, quæ quidem non-

dum videmus, speramus tamen consequi in cælis, ut dictum numer. 46.

49. *Solvuntur rationes Glossæ in contrarium adductæ. Et num. seqq. Fides et spes, in quibus differant. Ibid.* — Ex dictis patet responsio ad rationes Glossæ. Nam, quantum ad primam, negatur assumptum. Licet enim spes dici possit sperandarum substantia rerum (nam « Spes est virtus, qua spiritualia et æterna bona sperantur, id est, cum fiducia expectantur, » ut inquit Magister Sententiarum in 3. dict. 26.) nihilominus altera pars videlicet argumentum non *apparentium* spei nullatenus convenit. Insuper Fides est rerum bonarum, tum malarum, ut a Deo revelatarum; ut puta peccatorum olim commissorum, item diluvii, aliorumque suppliciorum a Deo immisorum, atque in sacra Scriptura descriptorum: Spes econtra est rerum tantummodo bonarum, cum nemo speret, sive desideret sibi malum. Item fides habet se ad omne tempus, credendo tum præterita, tum præsentia, tum futura, propter attestationem æternæ Veritatis: spes autem solum de futuris. Atque, ut breviter loquitur Doctor subtilis in 3. dist. 31. quæst. un. § *Respondeo*, fides ex ratione sua inclinatur tantum in verum latens: et spes tantum inclinatur in bonum commodum absens.

50. *Fides divina, ab Apostolo descripta, discernitur a fide humana, ab opinione, et suspitione, atque a scientia: et quomodo?* — Ulterius, quod definitio fidei, ab Apostolo assignata, convertibilis sit cum suo definito, patet ex eo: quia per *ly, substantia rerum sperandarum*, discernitur fides divina a fide humana, utpote quæ non est substantia rerum sperandarum, sive basis spei supernaturalis, sicut illa. Deinde per *ly, argumentum*, rursus fides divina ab Apostolo definita, distinguitur ab humana: nam hæc est fallibilis (homines enim et fallere possunt, et falli) non illa, propter infallibilem veracitatem Dei revelantis, qui nec fallere potest, nec falli. Differt etiam per eandem particulam fides præfata ab opinione, et suspitione, eo quod in his non adsit firma adhesio intellectus, bene tamen in illa. Tandem per *ly, non apparentium*, discernitur fides a scientia, utpote per quam quidpiam apparet certum, ac evidens: item et ab inspectione oculari, de visis enim non habetur fides, sed agnitio, sive, ut S. Gregorius, *Homil. 26 in Evangelia*, loquitur: « Quæ apparent, jam fidem non habent, sed agnitionem. »

51. *Alia definitio fidei supernaturalis, tum habitualis, tum actualis.* — Ad alteram rationem Glossæ negatur assumptum. Siquidem *ly, argumentum non apparentium*, quo indicatur ipsamet essentia, et ratio quidditativa fidei supernaturalis, sese habet indifferenter ad omne tempus, tam præteritum scilicet, quam præsens, et futurum. Quod si tamen allata Apostoli definitio cuiquam videatur obscurior, dici potest: « Fides supernaturalis habitualis, » est virtus divinitus infusa, et donum DEI, quo velut lumine illustratus homo firmiter assentitur omnibus, quæ a Deo revelata sunt ob infallibilem ejus veracitatem. « Fides actualis » vero, est actus supernaturalis, quo quis assentitur propositionibus a Deo revelatis, ob ejusdem infallibilem veracitatem.

§ IV.

DE SYMBOLIS FIDEM CATHOLICAM PROFITENTIBUS.

52. *Symbolum fidei, quid? — Quæritur I. Quid sit Symbolum fidei, et quotuplex. Resp. Symbolum in proposito aliud non est, quam brevis quædam summa, sive collectio mysteriorum fidei catholice indubitanter credendorum ab omnibus propter infallibilem veracitatem Dei revelantis.*

53. *Et unde dicatur Symbolum? — Et dicitur Symbolum, vel a Syn, quod est simul, et bolus, quod est morsellus: quia videlicet Symbolum apostolicum, quod est primum, et a quo cætera vocantur Symbola, confectum est ab omnibus simul Apostolis, singulis eorum aliquem morsellum, sive particulam quædam apponentibus; prout tenet Glossa, ad rubric. h. t. circa finem, et alia Glossa in can. 1. y. *Apostolos*. dist. 15. ac canonistæ passim. Vel juxta alios, quia *Symbolum* græce, latine sonat *indicium*; hinc *Symbolum fidei* sic dictum videtur, eo quod sit quoddam indicium, sive signum exterioris professionis fidei, quo veri fideles discernuntur ab infidelibus, paganis videlicet, Judæis, et hæreticis: sicut a simili tessera illa, quam milites assumere consueverunt ad discernendum socios ab hostibus, et exploratoribus, *Symbolum militare* vocatur. Bellarmin Præfat. ad *Explicat. Symboli Apostolici*; Calepinus V. *Symbolum* et favet Archidiaconus in can. 1. dist. 15. n. 4. quamvis postea priorem Glossæ opinionem acceptet.*

54. *Plura Symbola fidei successive fuerunt*

edita. — Resp. II. Esti plura Symbola fidei ad majorem veritatis explicationem, atque exclusionem hæresum pro tempore insurgentium, successive in Ecclesia catholica fuerint edita, adeo, ut divus Thomas part. 1. q. 36. art. 2. ad 2. asserat in quolibet concilio institutum fuisse Symbolum aliquod, propter errorem in eo damnatum: et ideo cardinalis Jacobitus tom. XIII. *Tractatum*, tract. de *Conciliis*. lib. 1. art. 1. n. 42. dicat, quasi ad triginta duo Symbola in variis conciliis repilogata fuisse.

55. *Et tamen omnia in effectu concordant.* — Nihilominus omnia illa Symbola in effectu concordarunt, et concordant: cum sequens concilium nequaquam fecerit aliud Symbolum a priori, sed demtaxat id, quod in priori, ipsoque Symbolo Apostolorum implicite continebatur, per aliqua expresse addita contra insurgentes successu temporis hæreses paulo latius explicaverit. Unde, sicut sancta quatuor Evangelia, non tam sunt quatuor Evangelia, quam quatuor libri ejusdem Evangelii, teste divo Augustino, tract. xxxvi in *Joannem*. Ita plura Symbola, successive in Ecclesia catholica contra exurgentes hæreses proposita, non tam sunt plura Symbola, quam plures ejusdem Symboli Apostolorum enarrationes, sive declarationes.

56. *Quatuor Symbola fidei magis principalia enumerantur.* — Cæterum non immerito Glossa ad Rubricam. h. t. in fine, mentionem facit quatuor tantum Symbolorum, utpote magis principalium; quæ sunt Symbolum Apostolorum, Symbolum Nicænum, Symbolum sancti Athanasii; et Symbolum concilii generalis, relatum, in c. *Firmiter*. h. t. de quibus proinde solis in progressu singillatim dicitur.

57. *Symbolum Apostolorum sic dictum, quia ab Apostolis confectum.* — Quæritur II. Quid speciatim sit dicendum de Symbolo Apostolorum? Resp. I. *Symbolum Apostolorum* sic dicitur, quia confectum fuit ab Apostolis. Si quidem sancti Apostoli magistri orbis terrarum a Christo constituti, antequam separarentur ab invicem ad prædicandum cunctis gentibus Evangelium, mysteria illa, quæ ab omnibus credenda sunt, in unam brevem Summam collegerunt, eamque postmodum fidelibus tradiderunt. Et hoc quidem fecerunt Apostoli ex speciali instinctu Spiritus sancti, atque singillatim conferendo suas sententias, ita quod quilibet eorum posuerit ibi suam particulam, juxta divum Augustinum,

serm. de *Vigilia de Pentecost.* tom. X. et doctores communiter, easque omnes insimul postmodum approbaverint, receperint, fidelibusque pariformiter tradiderint.

58. *Et cur id fecerint?* — Et hoc quidem factum est pluribus de causis. I. Quia non poterant omnes prædicationem evangelicam audituri, per se ipsos sacras Scripturas legere, vel intelligere unde conveniens, imo et necesse videbatur, ut una brevis summa, ad duodecim brevissimas sententias redacta juxta numerum videlicet duodecim Apostolorum Agni, ex toto corpore divinarum Scripturarum colligeretur, quæ et principalia fidei mysteria contineret, et ab omnibus facile capi, memoriaque retineri posset. II. Ut omnes fideles in unius, ejusdemque fidei confessione, ac professione, concordantes existerent, habentes ubique locorum unam fidei normam, atque Symbolum, quo inter se convenirent, et ab infidelibus secernerentur. III. Ut una sancta Ecclesia, ob hanc Symboli unitatem, ab omnibus Apostolis singillatim confectam, et ubique terrarum prædicatam, post Christum, Lapidem vivum, fundamentalem, angularem, et primarium, etiam super duodecim Apostolos ædificaretur. IV. Ut ob hanc ipsam fidei, Symbolique unitatem, atque professionem, in toto terrarum orbe observatam, vera *Fides* diceretur, ac re ipsa existeret, *Catholica*, hoc est, universalis; juxta illud propheticum, *Psalm.* xviii, 5. *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.*

59. *Quos articulos singuli Apostoli posuerint? Refertur aliorum opinio.* — Resp. II. *Symbolum Apostolorum* passim dividitur in duodecim articulos, juxta numerum duodecim Apostolorum, a quibus singillatim sunt positi. Nam sanctus Petrus primo posuit particulam suam dicens: *Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cæli et terræ.* Deinde cæteri Apostoli per ordinem singuli addiderunt singulas particulas, licet quas determinate singuli apposuerint, non adeo conveniat inter doctores. Nam sanctus Bonaventura in 3. dist. 15. art. 1. q. 1. secundum particulam, videlicet, *Et in Jesum Christum Filium ejus, unicum Dominum nostrum*, attribuit Andrea: tertiam Joanni: quartam Jacobo Majori; quintam Thomæ; sextam Jacobo Minori; septimam Philippo; octavam Bartholomæo; nonam Matthæo; decimam Simoni Chananæo; undecimam Judæ Thaddæo; et duodecimam Matthiæ. Cæterum Hostiensis in *Summa*, tit. de *Fide catholica*,

§ *Quot et qui articuli*, in cæteris concordans cum Doctore seraphico, tertiam particulam assignat Jacobo fratri Joannis, et quartam ipsi Joanni. At vero Archidiaconus in can. *Canones*. n. 7, dist. 15. secundam particulam assignat Paulo, tertiam Andrea: quartam Jacobo; etc.

60. *Verisimilior Scoti sententia probatur.* — Sed quamvis circa hoc omnimoda certitudo non habeatur, magis tamen verisimile est, quod tradit Doctor subtilis in 3. dist. 25. q. 1. § *Horum articulorum*, dicens, quod sanctus Petrus posuerit primum articulum; Joannes secundum, qui de persona Filii Dei; Jacobus Zebedæi tertium, qui est de ejus conceptione, et nativitate; Andreas quartum, seu de passione; Philippus quintum, nempe de descensu ad inferos; Thomas sextum, de resurrectione; Bartholomæus septimum, sive de ascensione; Matthæus octavum, qui est de Christi adventu ad judicium; Jacobus Alphæi nonum, sive de persona Spiritus sancti; Simon Zelotes decimum, qui complectitur opus gratiæ quoad collationem boni, scilicet *sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem*; et Judas Jacobi undecimum, qui recipit opus gratiæ quoad mali remotionem, scilicet *Remissionem peccatorum*; duodecimum autem, qui concernit effectum gloriæ, sanctus Matthias illis verbis, *Carnis resurrectionem et vitam æternam*. Et hæc doctrina Scotica fundatur in sacra Scriptura: nam Actor. cap. 1. vers. 13. hoc eodem ordine referuntur Apostoli post Christi in cælos ascensionem: atque credibile est, quod singuli Apostoli posuerint singulos articulos Symboli, ab ipsis confecti juxta ordinem post Christi ascensum inter eos observatum, et a sancto Luca loc. cit. relatum; ergo.

61. *Symbolum Apostolorum, quot articulos contineat?* — Resp. III. Licet *Symbolum Apostolorum*, juxta horum numerum, passim dividatur in duodecim articulos, ut dictum: si tamen articuli distinguantur quantum ad ipsa credita possent plures distingui. Et hac ratione divus Bonaventura, loc. cit. atque Scotus in 3. dist. 25. q. un. § *Sed posito*, nec non et Hostiensis in *Summ.* tit. de *Fide catholica*, § *Secundum alios vero*, distinguunt quatuordecim articulos, quorum septem pertinent ad deitatem spectatam tam quoad se (nempe quoad unitatem essentiæ, ac trinitatem personarum divinarum; unde quatuor, quantum ad ipsa credita, habentur articuli, quorum primo confitemur unitatem essen- te, et aliis

tribus tres personas divinas), quam quoad suos effectus, qui generatim sunt tres, videlicet creationis, justificationis, et glorificationis. Septem alii vero articuli spectant ad humanitatem a Deo assumptam; et sunt conceptio Jesu Christi Filii Dei, ejusdem nativitas, passio, descensus ad inferos, resurrectio a mortuis, ascensio in cælum, et adventus ad extremum judicium.

62. *Nomine Articuli Fidei, quid intelligatur?* — Ratio horum est: quia nomine *Articuli Fidei* intelligitur veritas quædam fidei, habens specialem difficultatem in credendo, non dependentem ex alia. Unde in quibus non reperitur ejusmodi specialis ratio, atque difficultas, ibi non oportet distinguere articulos: prout v. g. quod Christus fuerit crucifixus, mortuus, ac sepultus, non constituunt diversos articulos; cum non habeant diversam difficultatem in credendo, sed uno suscepto, ac credito, facile sit etiam aliud suscipere, et credere: econtra vero, quia aliam habet difficultatem ad credendum, quod Deus sit passus, et quod mortuus resurrexerit, recte distinguitur articulus resurrectionis ab articulo passionis, ut observat divus Thomas 2. 2. q. 1. art. 6. Atqui ejusmodi specialis difficultas ad credendum reperitur in enumeratis quatuordecim creditis, sive particulis Symboli apostolici; prout liquet ex diversis hæresibus circa singula eorum subortis, de quibus fit mentio in can. *Quidam autem Hæretici*. 24. q. 3. et alibi; ergo.

63. *Articulus fidei sumitur tripliciter.* — Sciendum tamen, quod articulus fidei non semper prædicto modo accipiatur: quinimo secundum Archidiaconum in can. *Canones*. n. 6. dist. 15. et Vincentium Hostiensem, Jo. Andreæ, et alios in c. *Cum Christus, de Hæreticis*, et Fagnanum c. *Firmiter*, n. 40. h. t. Articulus fidei sumitur tripliciter. Primo stricte: et sic hoc nomine appellantur illi soli, qui in *Symbolo Apostolorum* continentur: et istos tenentur omnes, postquam ad usum rationis pervenerunt, explicite credere, discere et scire, saltem quoad substantiam, arg. can. *Ante viginti*, et can. *Baptizandos*, et can. *Non liceat; de Consecr.*, dist. 1. Secundo largius, prout articulus fidei comprehendit etiam definitiones Ecclesiæ super quæstionibus fidei, factas a summis pontificibus, seu conciliis generalibus: quales habentur in c. *Cum Christus, de Hæret.* et Extravag. Joannis XXII. *Cum inter nonnullos*. et alibi sæpe. Circa ista siquidem ante diffini-

tionem Ecclesiae contrariam dicere non erat prohibitum, cum de veritate ipsa necdum canonice constaret: sed facta semel diffinitione sanctae matris Ecclesiae, quae est *columna, et firmamentum veritatis*, I Tim. II, 13, atque in materia fidei ob specialem assistentiam Spiritus sancti errare non potest, oppositum perlinaciter tenere nefas est, atque haereticum: unde in hoc sensu, quod antea non fuerat articulus fidei, post diffinitionem sanctae matris Ecclesiae sive in concilio generali, sive mediante summo pontifice extra illud factam, cepit esse articulus fidei. Tertio articulus fidei potest sumi largissime, videlicet pro quacumque sententia vera circa fidem, sive sit definita, sive non: et juxta hanc triplicem acceptionem, articuli fidei varie ulterius possunt distingui.

64. *Symbolum Nicænum, quale?* — Quæritur III. Quale sit *Symbolum Nicænum*, et cur post *Symbolum Apostolorum* fuerit conditum? Resp. *Symbolum Nicænum* dicitur, quod contra arianæ perfidiae blasphemias, aliasque subortus haereses, a sanctis Patribus in concilio Nicæno primo de omni terrarum orbe conventibus, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam conditum fuit; ut notatur in can. *Canones*. dist. 15.

65. *In missa quale Symbolum cantetur?* — Et hoc est illud *Symbolum*, quod incipit, *Credo in unum Deum*: atque cantatur in Missa ex ordinatione sancti Damasi papae I, et decreto sanctae universalis synodi Constantinopolitanae, ut notat Glossa marginalis in cit. can. *Canones*, et Archidiaconus, ibidem, n. 3. Quamquam additio illa, *Filioque* primum facta fuerit in concilio Toletano primo, prout jam supra n. 20. dictum: atque ipsi *Symbolo Nicæno* ad majorem fidei explanationem, et novarum haeresum confutationem, quaedam per synodum generalem Constantinopolitanam venio opposita fuerint, prout liquet inventi *Symbolum*, tam in concilio Nicæno, quam Constantinopolitano recitatum. Hinc ratione dictarum additionum, inquit Barth. Gavantus, part. I. *Commentar. in rubricas*, lit. II. de *Symbolo*, quod *Symbolum* in Missa recitari solitum, neque est Nicænum, neque Constantinopolitanum purum, sed dici potest ecclesiasticum.

66. *In Symbolo Apostolorum, quomodo fides sufficienter contineatur?* — Dices. In *Symbolo Apostolorum* jam fides sufficienter traditur, ergo alia symbola superfluant: non absurdum est dicere, quod Apostoli, qui repleti

fuerunt Spiritu sancto, ediderint *symbolum* diminutum, et non plene integre fidem continens. Resp. neg. conseq. Licet enim in *Symbolo Apostolorum* fides sufficienter jam contineretur, quantum ad propriam et simplicem fidei confessionem: quia tamen postmodum indocti, instabiles, et perversi homines doctrinam apostolicam in *Symbolo* traditam, sicut et cæteras Scripturas, depravarunt ad suam ipsorum perditionem, ut legitur *Petri*. cap. III, 16, necesse fuit temporibus procedentibus congregare concilia, in eisque exemplo *Apostolorum*, de quo *Actor*. cap. xv, 4 et seqq. explicare fidem contra subortas haereses, ipsamque fidei explanationem in brevem summam redigendo, addere alia symbola: non quasi *Symbolum* apostolicum, quantum ad simplicem fidei confessionem fuerit insufficientis, sed ad majorem ejus explanationem, atque expressam haeresum insurgentium exclusionem, et confutationem.

67. *Et cur post illud fuerit conditum Symbolum Nicænum?* — Et per hoc patet ad alteram proposita questionis partem, sive cur *Symbolum Nicænum* fuerit conditum post *Symbolum Apostolorum*. Resp. enim, id factum esse ad majorem fidei explanationem, atque expresse confutandas haereses de novo insurgentes, ad quarum explicatam reprobationem Patres sanctae generalis Nicænae synodi nonnulla in suo *Symbolo* addiderunt verba ad *Symbolum Apostolorum*, ut patet inductione. Sic quippe in *Symbolo Nicæno* non tantum dicitur, *Credo in Deum*; sed ad rejiciendam haeresim impii Manichæi, expresse additur, *in unum Deum*. Nec tantum, *Creatorem celi*, sed etiam, *visibilem et invisibilem*. Insuper ad extirpandam haeresim Arianam, vel maxime grassantem, non solum dicitur, *Et in Jesum Christum*; sed additur, *Filium Dei Unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt*. Rursus in confutationem haeresis Eutychetis, et Nestorii, qui dixerunt, Spiritum sanctum esse servum Patris, et Filii, non dicitur tantum, *Credo in Spiritum sanctum*, sed additur, *Dominum, et vivificantem, qui ex Patre* (Latinis post concilium Toletanum I. et ad excludendum errorem Graecorum, insuper addentibus, *Filioque*) procedit; qui cum Patre, et Filio, simul adoratur, et conglorificatur. Atque etiam subjungitur, *Qui locutus est per Prophetas*. ad destructio-

nem erroris quorundam, qui dixerunt, quod *Prophetae* locuti sunt, sicut fanatici. Idem fit in aliis similibus: ac proinde, licet *Symbolum Apostolorum* jam fuerit sufficiens, quantum ad simplicem fidei confessionem, etiam alia *Symbola* non superfluant, cum deserviant ad majorem ejus declarationem, atque expressam subortarum haeresum refutationem. D. Bonaventura in 3 dist. 25. art. 1 q. 1. ad 5. D. Thomas 2. 2. q. 1. art. 9. et 10. et alii.

68. *Articuli fidei an successu temporis creverint?* — Instabis. Si hæc ita se habent, ergo articuli fidei successu temporis creverunt; quod videtur esse contra illud *Apostoli Ephes.*, IV, 5. *Unus Dominus, una fides*. Resp. cum *Doctore angelico*, loc. cit. art. 7. et seraphico ubi supra, articulos fidei crevisse, non quidem quantum ad substantiam (idem enim semper fuit objectum fidei, ejusque articulo quoad substantiam), sed solum quantum ad majorem ipsorum explanationem, atque expressam professionem. Nam quod post solemnem definitionem sanctae matris Ecclesiae (cujus est sacram *Scripturam* in dubiis interpretari, fideique controversias definire; atque in hisce definiendis, ob specialem assistentiam Spiritus sancti errare non potest) plenius edocti explicite credimus, illud jam implicite continebatur in aliis credibilibus, sive articulis fidei: et consequenter fides quoad substantiam nunquam mutatur, neque creverunt successu temporis ejus articuli quoad substantiam, sed solum quoad majorem explanationem, ac expressam eorum professionem.

69. *Eadem fides fuit Patrum Veteris Testamenti, et nostra.* — Et hoc extendit etiam ad Patres Veteris Testamenti: nam, ut inquit divus Augustinus epist. 157. ad Optatum. «Unius Mediatoris Dei et hominum, Jesu Christi saluberrima fide etiam illi justis facti sunt, qui prius quam veniret in carne, crediderunt in carne venturum; eadem enim fides est et illorum et nostra.» Et merito hoc dicitur: nam in fide redemptionis generis humani per Messiam futuræ, implicite continebantur et incarnatio Christi, et passio ipsius, et omnia alia, quae nos de facto circa modum redemptionis, et qualitatem personae Redemptoris explicite credimus, atque traduntur tum in sacro *Evangelio*, tum in *Symbolo Apostolorum*, ac Nicæno. Quod idem de aliis hujusmodi dicendum, utpote quae pariter implicite continentur in aliquibus primis credi-

bilibus, per antiquos Patres jam creditis, juxta illud *Hebr.* XI, 6. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit*. Nam in fide existentiae Dei implicite includuntur omnia, quae credimus in Deo aeternaliter existere: in fide autem providentiae divinae circa hominum salutem, aeternamque retributionem, involvuntur omnia illa, quae hunc in finem a Deo misericorditer hominibus dispensantur.

70. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod Patres antiqui crediderint Christum esse venturum, quem nos jam venisse credimus. Si quidem hæc non est mutatio objecti fidei secundum substantiam, sed dumtaxat secundum circumstantiam temporis, quod est per accidens.

71. *Alia instantia diluitur.* — Neque etiam obstat, quod quaedam explicite, et sub majori numero, a posteris credantur, quae ab antiquioribus solum implicite credebantur, vel etiam ante definitionem Ecclesiae licite in dubium revocabantur, arg. *Extravag. Cum inter nonnullos*, Joannis XXII, juncta Glossa, §. *Deinceps*. cum similibus. Quia hinc solum sequitur, crevisse articulos fidei successu temporis quoad majorem explanationem, atque expressam professionem (nam plures articulos in *Symbolo* apostolico circa modum redemptionis, Christique personam expresse profitemur, quos nondum expresse profitebantur veteres) et si non quoad substantiam: cum hoc ipsum, quod nos per sanctos Apostolos, atque Ecclesiam catholicam plenius instructi credimus explicite, antiquiores fideles jam crediderint saltem implicite. Porro huic credulitati non obstabat error probabilis, ante definitionem Ecclesiae circa materias magis dubias a quibusdam habitus: cum error ille non fuerit conjunctus cum pertinacia, quin imo fideles illum habentes animo parati extiterint ad adhærendum veritati, atque iudicio Ecclesiae, cui sese submiserunt, firmissime credentes ea omnia, quaecumque sancta Ecclesia catholica ad credendum proposuerit.

72. *Utrum Ecclesia, vel Papa, possit facere novum articulum fidei?* — Neque hinc inferre licet: Ergo Ecclesia, vel Papa, potest facere novum articulum fidei; aut reddere assertionem aliquam modo falsam, ac haereticam, quae prius vera erat, vel e converso: contra illud *Apostoli Galat.*, I, 8. *Sed licet nos, aut angelus de caelo evangelizet vobis, praterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*.